

3918

CONDITI PRUSSIARUM REGNI MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DIE XVIII JANUARII MDCCCLXXIII

IN

AUDITORIO MAXIMO

CELEBRANDAM

INDICUNT


PRORECTOR ET SENATUS ACADEMIAE ALBERTINAE.



*Inest Disputatio de diversoriis omnium terrarum e Caspari Steinii libro (mscr. qui PEREGRINVS
inscriptus est) nomine primum edita.*

REGIMONTI.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.



54917

6479

534

Quaestiones litterariae civibus academicis in hunc annum ad concertandum propositae.

Ordinis Theologorum.

Berengarii doctrina de coena sacra diligenter comparetur cum doctrina Calvini.

Ordinis ICtorum.

Exponatur doctrina negotiorum quae vocantur „Kommission und Spedition“ secundum legem iuris commercialis imperii Germanici.

Ordinis Medicorum.

De effectu physiologico Secalis cornuti.

Ordinis Philosophorum.

1. Duae quaestiones historicae ad eligendum proponuntur:

a) Machiavellus cum antiquioribus rerum scriptoribus, imprimis Villonio, ita comparetur, ut exponatur quanti momenti sint eorum historiae Florentinae in dijudicandis rebus politicis et historicis.

b) Pugna d. VI. Septbr. MDCCCXIII prope vicum Dennewitz commissa enarretur ex relationibus Borussicis Gallicis Suecicis accurate inter se comparatis.

2. Item duae zoologicae:

a) Observationes de transformatione imperfecta insectorum.

b) Observationes de myriopodibus hujus provinciae.

3. Es sind in den letzten Jahren von le Roux, Christiansen und Anderen Erscheinungen bekannt gemacht worden, die eine ganz anomale Dispersion der Farben beim Durchgange des Lichtes durch verschiedene Substanzen bekunden. Es wird verlangt, diese Erscheinungen umfassend darzustellen, die Methoden ihrer Beobachtung zu discutiren und die theoretischen Gesichtspunkte festzustellen, die zu ihrer Erklärung führen könnten.

ANSWER

TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

ANSWER TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

ANSWER TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

ANSWER TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

ANSWER TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

WITH A REPLY TO THE CHIEF POINTS OF DISPUTE.

Inter peregrinatores saeculi XVII non ultimum locum obtinent homines hujus provinciae; nam illa aetate, ut ait Crebsius académiae Albertinae professor in oratione de statu Borussiae 1614 habita, patriis focis non contenta Prussiae juventus exterás nationes omnesque mundi angulos perlustravit (Act. Boruss. II 500) Inter viros doctos vel nobiles illius aetatis vix quisquam inventus esse dicitur qui non aliquantum temporis in peregrinatione consumserit. Germaniam Hollandiam Britanniam Galliam Italiam plurimi adiere, nonnulli Hispaniam Siciliam Graeciam, fuere etiam qui in Asiam Africamque penetrarent. Ex itinerum descriptionibus quas non pauci composuerunt, nullae quod sciam lucem viderunt nisi libri Ottonis Friderici comitis de Groeben, a. 1694 Marioinsulae publicati, quorum alter inscriptus est Orientaliſche Reisebeschreibung des Brandenburgischen Adligen Pilgers, alter Guineische Reisebeschreibung, nebst einem Anhange der Expedition in Morea (iterum editus Gedani 1779).

Aliorum libri manuscripti in bibliothecis adhuc latent: Simonis Segersii qui commentarios de itineribus per novem annos (inde ab a. 1652) in Europa, Asia, Africa factis reliquit, in oppidana; Henrici Bartschii epistolae ad patrem datae de itineribus in plurimis Europae terris (1689 — 1692) factis, item in oppidana. De aliis vide Pisanskii litterarum Prussicarum histor. II 278 sq.

In bibliotheca regia Regiomontana asservatur codex mscr. Caspari Steinii, Peregrinator inscriptus, qui descriptionem omnium terrarum continet, ex qua adhuc nihil publicatum est, nisi ea quae ad Borussiam Orientalem pertinent in Act. Boruss. Vol. I p. 195 — 246. Equidem hoc loco nonnulla alia cum lectoribus communicare volo, quod et eis gratum fore spero, qui historiae litterarum provinciae nostrae, et eis qui historiae peregrinationum studiosi sunt.

Quae de vita et itineribus Caspari Steinii traduntur in Act. Bor. l. l., hausta sunt ex Intimatione Funebri in exequiis ejus proposita a Rectore et Senatu académiae Regiomontanae (Regiom. Praeol. Reusneriano MDCLII 4to. fol. IV), quae terminatur his verbis: Corpus vero dum hodie ex aedibus viduae amplissimi quondam dn. Johannis Stein, consularis Cniphovianae, fratri Germani, h. m. post. XII efferetur, ut frequenter eidem cives nostri supremum honorem exsolvant, monemus, honoratissima familia officiose rogat. P. P. 1652. 5 Febr. Ea hoc loco repetenda sunt.

Natus Regiomonti 1592 ac primum in schola Neidenburgensi, deinde in gymnasio Thorunensi institutus, a. 1610 ad exterás nationes abivit, ac Sedini primum, hinc Gryphiswaldiae, Francofurti ad Viadrum, studiis triennium insumpsit, quinques mare Balthicum trajecit. A. 1612 in bello Danico et Suecico bis, non sine discrimine, in Piratas incidit, regiones maris Balthici, Viadri et Albis, Pomeraniam, Marchiam Brandenburgensem, Megapolitaniam, Wagriam, Stormar-

siam, Ducatum Luneburgensem et Brunsvicensem, Archiepiscopatum Magdeburgensem et Saxoniam inferiorem inspexit. A. 1613 per Poloniam majorem, Vandaliam veterem, Lusatiam et Saxoniam superiorem se contulit Wittebergam, ubi quinquennali se totum studio Philosophico, Medico et Historico addixit; simulque tum temporis, oblata occasione, distinctis itineribus Osterlandiam, Franconiam, Sueviam, Bavariam, Austriam, Hungariam usque ad propugnacula Turcica circa Moraviam, Silesiam, Bohemiam, Vogtlandiam, Misniam, Thuringiam, Hassiam, Palatinatum, Marchionatum Badensem, Helvetiam, Alsatiam, tractum Rheni et totam fere Germaniam peragravit. Anno 1618 in Academia Jenensi, pro Licentia Doctoris gradum in arte Medica consequendi, de Melancholia disputavit. Sequenti tempore Noricum, Tirolim, Italiam, Venetias et Romam, nec non Liguriam, Pedemontium, Sabaudiam, Galliam, Angliam, Belgium vicinasque insulas perlustravit; ubique doctos viros convenit, populorum antiquitates, monumenta, consuetudines, mores, ritus, studia, jura, scita et similia annotavit, inque Itinerario consignavit, ut ad exemplum Ulyssis Homerici veram sibi colligeret prudentiam. Hanc laboriosam cum absolvisset peregrinationem, a Belgis per Frisiem, Comitatum Oldenburgensem et Delmenhorstensem, Westphaliem, Bremenensem et Verdensem Episcopatum et alia loca reversus, Lipsiae recollegit vires. Tandem cum annos quindecim in locis peregrinis vixisset, post varios casus, labores et pericula, per Marchiam, Pomeraniam et Cassubiam, fessus et lassus via sub initium a. 1621 ad patrios rediit lares. Ubi reliquum vitae tempus pleniori sacrarum literarum et historiarum variarum cognitioni, Medicinae item et praxi Medicae tribuit. Praeterea vero, dum lues pestifera et Bellona undique grassabatur, fallendi tempori tristis gratia, in aedibus propriis et nonnullis Prutenorum, Samogitarum et aliorum praediis, Peregrinum, seu peregrinatorem terrestrem, pro felici peregrinatione in hac vita, et beata ia coelestem patriam emigratione, miserias humanas ac vanitates mundi sub oculos ponentem, scripsit.

Hunc Peregrinatorem Simon Dachius in carmine in mortem C. Steinii (1652) composito se non sine magna voluptate pervolvisse testatur (Pisanski H. litt. Pruss. II 277, 1), et omni homines eruditii illius aetatis librum studiose lectitasse videntur; in fol. 1^b voluminis primi hoc inscripsit Martinus Silvester Grabe tunc bibliothecarius (1676): Dieses Manuscriptum sel. Hn. Lic. Steinij hat sein Vetter, H. Reinholdus Stein, der Churfl. Bibliothec legiret, mit angehengter Bedingung, so S^e Excell. der H. Cancellarius auch beliebet, dass Er oder wem Er von seinen Freunden ein Scheinchen ertheilen wuerde, solches durch zu lesen, doch zum laengst auff einen Monat, koente gelehnet bekommen. Qui autem librum ingentem uno mense revera perlegerunt, totos dies a mane ad noctem legere debuerunt; nam duo crassissima volumina sunt (627 et 719 foliorum) forma quadrata, artissime scripta, de quibus dixit Aemilius Steffenhagen in catalogo codicum msqr. bibl. Regimontanae sub nn. CCCXIV et sq.

In Ingressu Peregrinatoris more illius aetatis de causis et historia peregrinationum prolixe disputatur, unde indicem itinerum in terram Sanctam excerpam. Recensentur autem Itinera equitum et spectatorum S. Sepulcri Hierosolymitani haec: Godefredi Bullionei ducis Lotharingiae, Fratris Brocard, Johannis de Montevilla, Rudolphi Kirchher, Stephani de Gumpenberg, Johannis Tucher, Johannis Comitis Solmensis, Felicis Fabri, Alexandri Comitis Palatini, Bugislai Ducis Pomeraniae, Bartholomaei de Saligniaco, Danielis Ecklin, Johannis de Ehrenberg, Melchioris Seidlitz, Alberti Comitis de Loewenstein, Jacobi Wormbser, Johannis Helffrich, Ludovici Rauter, Leonhardi Rauchwolff, Salomonis Schweigger, Christophori Radziwilii Principis, Michaelis Heberer, Johannis Schwallart, Johannis Wildt, Hieronymi Scheidt.

Post hos recensentur Exploratores Indiarum, Inventores Novi Orbis, Investigatores Terrae Australis, Indagatores Terrae Borealis, Oratores Inspectores. Has enumerationes sequitur Peregrinationis ex sacra scriptura approbatio, Peregrinationis et vitae terrestris ac coelestis collatio; tum peregrinationis usus exponitur.

Hinc ad Tractationis Summam transitur (p. 144), cujus duae partes sunt: I. Quid peregrinatio terrestris et coelestis sit et cur utraque suscipi debeat. II. Quae requisita ad utramque perficiendam necessaria sint. Omnium autem requisitorum et mediorum proponuntur partes principales quatuor: 1. ad iter praeparatio, 2. ipsum iter seu itineris institutio, 3. itineris continuatio, 4. itineris conclusio; quae singulae partes deinde in multa capita ita dividuntur, ut ubique requisita itineris terrestris et coelestis componantur et comparentur. Exempli causa proponam Partis secundae requisitum nonum:

In terrestri:

Ad diversorum properatio. Diversorum in itinere varietas, raritas, vilitas, mediocritas, celebritas. Tractationis diversitas in Germania, Belgio, Anglia, Gallia, Italia, Hispania, Turcia et Persia. Notae diversorii mali et boni. Versutia in diversorio malo circa viaticum, cauponem, latronem, negotia et dissidia cauponis et cauponae, sodalitum pravum, insidias, tractationem pessimam. Observantia in pandochio bono erga Pandochium, Hospitam, Sodales, Ministros, Tractationis modum.

Addo exordium hujus capituli.

In coelesti:

Ad hospitium festinatio. Hospitium Christianorum duplex seculare et spirituale. Indicia hospitii seculari circa thesaurum spiritualem, diabolum homicidam, bona mundana caduca, amicitiam impiorum fallacem, haeresin, tyrannidem, computationem sanguisugarum iniquissimam. Reverentia in hospitio spirituali erga Oeconomum CHRISTVM, Matrem Ecclesiam, consortium hypocitarum et fidelium, praecones verbi divini, dona spiritus sancti.

(Cod. vol. I p. 569.)

NONVM REQVISITVM

Peregrinator terrestris lassus de via, fessus de cursu propter necessariam requiem et ^{properatio.} recreationem mature ad diversorum properare, caute in diversorio vivere et adagia (?) illa in mentem revocare debet. Nullum violentum diuturnum.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Haec reparat vires fessaque membra levat.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis

Immodicus contra carpit utrumque labor.

Via enim sine diversoriis taediosa et laboriosa, et non semper secura esse solet.

Peregrinus ergo tempestive ad diversorum properet, et in eligendo judicium adhibeat, ut quantum fieri potest, fidum, securum, honestum, corpori et moribus saluberrimum, ac optimum diversorum habere possit. In vili enim diversorio interdum plus quam in optimo expenditur et consumitur, et parcus tractatur. In der schlechten Herberg verzehrt man oft mehr, als in der besten und wird ums gelt schlecht tractiret dicunt Viatores. Et in lustris ac ganeis morum quidem semper, saepe etiam valetudinis, pecuniae, supellectilis et interdum famae ac ipsius vitae jactura fit.

Si vero accidat, ut difficultate itineris sordida loca et spurca diversoria ipsi petenda sint, cum Democrito cogitet, locum illum non posse ipsi auferre virtutem et animi praestantiam, et

cum Diogene qui aliquando objurgatus quod intraret loca suspecta ac parum honesta, respondeat: Et sol subit latrinas, nec tamen inquinatur. Attamen ratio, honestas et fama flagitat ut numquam sine suspicione in ejusmodi locis et diversoriis diu degat.

Ubique autem in diversoriis circumspecte vivat, non omnibus quando iter iterum ingressurus sit, indicet, sed discessum nunc simulet nunc dissimulet, nee facile omnibus credat nec arcana sua aperiat, quantumvis in speciem amico, nec arridenti nec amplectenti nec etiam dejeranti, sed monita Scaligeri Chytraei et aliorum doctorum virorum probe observet:

Clarissima sententia: confidere paucis.

Sed clarior altera: confidere nulli.

Fide, sed ante vide cui tuto fidere possis,

Si cui vis tuto fidere, fide DEO.

Cautus in hospitiis imprimis esse memento,

Hic quoque sub blando melle venena latent.

Hic genus Autolyci regnat, bonus exulat omnis,

Tu serva loculos hic et ubique tuos.

Nec nummos numerato aliis spectantibus; unum hoc

Heu (sic) mihi quam multis exitiale fuit.

Non cuivis homini qui sis, aperire necesse est,

Quoque abeas, coptae quae tibi causa viae.

(p. 570.) In peregrinatione enim vitam agentibus hoc evenit, ut multa habeant hospitia, nullas amicitias, inquit Seneca. Et Horatius ait:

Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

In itinere autem reperiuntur pro regionum varietate diversoria varia Peregrinanti notanda.

In incultis regionibus rara vel nulla, in excultis vilia mediocria et celebriora interdum peculia-
Raritas. ribus nominibus aut insignibus denotata.

Rara vel nulla diversoria sunt in regionibus desertis campis latissimis arena tectis, Tartaria deserta, Sylvis vastissimis et Desertis Asiae Syriæ Arabiae Africæ Indiae et Americae, in quibus Peregrinantes cum Carowanis iter faciunt, camelis tentoriola pileata, tentoria, cibaria multorum dierum, aquam dulcem in utribus coriaceis, aliaque ad iter necessaria circumferunt, interdum praesertim apud Tartaros carnem equinam edunt et lac equinum bibunt, nocturno tempore sub tentoriolis pileatis aut tentoriis vel sub dio in terra nuda aliquandiu quiescent et suorum ductorum vel Solis Poli Arcticæ et stellarum ductum sequuntur, multasque molestias incommoda et damna a pediculis insectis et populis praedas quaerentibus patiuntur.

In mari loco diversiorum sunt naves et in iis vietus marinus consuetus antea ad navigationem paratur, in quibus saepe occurrit tibi et potus defectus, foetor, nausea marina, aegritudo, tempestas varia et aliquando naufragium et mortis periculum.

Vilitas. Vilia diversoria sunt in Alpibus summis, mapalia et casulae opilionum et in iis tantum lac vaccinum aut serum lactis. In promontoriis et litoribus tuguriola piscatorum cum piscibus. In Samogitia et Lithuania, tuguria ruricolarum obscura, fumida et vapida cum statione pecorum et potu tenui, quem Alaus et Quas vocant.

In Russia et Moscovia, tuguria agricolarum et hypocausta alba ac nigra fumo repleta quae a Russis Picarnen vocantur, Monasteria Moscowitica et casae rusticae cum allio et vino adusto, Cabaca vel Cabaken Cauponae Magni Ducis publicae, Gam (?) Postae Moscoviticae.

In Asia, aedificia Turcica et Persica vasta et vacua contra injuriam aeris circa vias publicas constructa, Turcis et Persis Carawansarai et Turbie dicta.

In Africa, arbores vel aedificia lignea alta, supra aperta contra Tigrides et Leopardos in desertis vastissimis erecta, a quibus scala lignea scansilis noctu removetur, ubi magna aquae dulcis penuria et ferarum multitudo est.

In India, casulae Indorum et in iis cibus, puls, potus ex frumento Maitz, Oryza, herbis et radicibus variis praeparatus; reticula ex gossipio confecta et propter insectorum morsum aut iectum arboribus vel palis duobus affixa, in qua Indi et hospites Indorum dormiunt. In majoribus Indiae civitatibus, aedes saray dictae, vacuae et non habitatae.

In America et regno Peru, aedes amplae et spatiose circa viam ab Ingis regibus Peruvianorum veteribus extrectae, quas Peruviani Pambos appellant.

Mediocria diversoria sunt in Germania inferiori, Saxonia, Misnia, Thuringia, Vogtlandia, Mediocritas. Hassia, Westphalia, Holsatia, Megapolitania, Pomerania, Marchia, Silesia, Moravia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Livonia, Curlandia, Borussia, Tabernae, Popinae, Cellae, Domus collegiales, Cauponae, Horrea, Herbergen, Tabernen, Schencken, Garküchen, Lechel, Collegienkeller, Schenck-stuben, Gühäuser, Seglerhäuser, Kretschem, Krüge, Ställe, Scheunen dicta.

(P. 571.) In primariis harum regionum urbibus diversoria et cauponae publicae, Aedes mercatorum quorundam privatae.

In Dania, Tabernae Batavorum quorundam, Cauponae et Casae rusticorum inhospitalium cum cibatu semel in septimana cocto, Gammelmat.

In Suetia, Aedes Nobilium pastorum et rusticorum hospitalium, ubi apud Pastorem Schaerckensem et Vernemunsem Michael Hebererus in legatione Suetica caseos duos magnitudine rotae curulis vidit, in quibus impressa erant haec verba:

Non praesentetur nisi festa dies celebretur,
Caseus est charus: sic dicet dives avarus.

In Norwegia, Stabula die et nocte aperta cum piscibus asellis majoribus et minoribus, passeribus, halecibus.

In Hispania, domus Ventae dictae in locis desertis, diversorum unicum in qualibet urbe, cum carne asinina aut vervecina.

In regionibus orientalibus et urbibus Turciae ac Persiae xenodochia Imaret, Templi Moscheae sive Meschitae pro Peregrinantibus, a Magnatibus Turcicis fundata, cum decocto hordei, carne vervecina, potu Scherbet vel lacte aqua diluto, Domus mercatus Champ, Bazaar, Han. Aedes consulum Gallicorum Bayli, Veneti, Fontigo vel Fondiques vel Fonticken, in quibus Factores et Mercatores Europaei habitant, et Peregrinos recipiunt. In urbe Rama Palestinae Hospitalie Peregrinorum. In urbe Hierosolyma, Monasterium Fratrum montis Sion. In pago Bethlehem, Monasterium Monachorum latinorum. In montanis Iudee, Monasterium Calogerorum Monachorum graecorum. In monte Libano, Monasteria Maronitarum. Ad montem Sinai, Monasterium Calogerorum.

In Indiis et praecipuis Indiarum urbibus, Aedes Factorum et mercatorum Europaeorum, Hollandorum, Anglorum, Lusitanorum, Hispanorum.

Celebriora et lautiora diversoria communiter Wirthsheuser appellata sunt in majoribus Celebritas. superioris Germaniae civitatibus, in primis in Suevia, Bavaria, Austria, Tyroli, Alsatia, Franconia, Palatinatu Rheni, Tractu Rhenano, Belgio, Anglia, Gallia, Burgundia, Lotharingia, Sabaudia,

Pedemontio, Italia, regno Neapolitano, Sicilia, Malta. Quae peculiaria nomina et insignia habent, quorum nonnulla nostro tempore praesertim in Bavaria, leges sumptuarias et modos pro certo et tolerabili pretio pauperes et divites tractandi a duce Bavariae praescriptos et publice affixos habuerunt, atque ita nominata fuerunt. Aula Monachorum Vratislaviae, Stella Dresdae, Tres Coronae Pragae, Angelus Olmutiae, Aquila nigra Comarae, Equuleus albus Laurini et Posonii, Ursus et Elephas Viennae, Cygnus Lincii, Corona Tridenti, Campana Bolzani, Aquila aurea Oeniponti, Corvus Ratisbonae, Baumsteller Ingolstadii, Corona Monaci, Cygnus Coburgii, Scopae Bambergae, Anser aureus et Bitterholz Noribergae, Uva Augustae Vindelicorum, Baumstarck Ulmae, Aquila Tubingae, Corona Gmuendae Suevicae, Ciconia et Satyrus Basileae, Rap Argentorati, Flos Colmariae, Cygnus Rastadii cum vini mensura totius Germaniae maxima, Cantharus Spirae, Cervus Heidelbergae, Cervus Giessae, Equuleus albus Marpurgi, Cygnus Naumburgi, Sol Jenae, Magnus Christophorus Erfordiae, Cymbalum Gothae, Stella aurea Isenaci, Equuleus Francofurti ad Moenum, Aquila Moguntiae, Gladius Bodobrigae, Satyrus Confluentiae, Gladius Coloniae Agrippinae ad Rhenum, Cygnus Hamburgi, Cygnus Bremae, Folia tria (p. 572) aurea Embdae, Benten Gröningae, Ciconia Leovardiae, Falco Franeckerae, Pavo Harlingae, Pileus Moriani Enckhusae, Mola rubra Hornae, Magnus Christopherus vel in der Smack Amstelrodami, Falco et Vellus aureum Harlemae, Cornu aureum et Unicornu Lugduni Batavorum, Galea aurea Hagae comitis, Serpens Delphis, Zulas Roterodami et Dordraci, Taberna vinaria Gallice aux mille moyens, Germanice zun tausend Mitteln Antwerpiae, Rosa Lovanii, Tonna aurea Bruxellae, Equus albus Mechliniae, Vellus aureum Middelburgi, Rosa Flissingae, Angelus Gandavi, au sauvage Brugis Flandrorum, Claves Duenkerkae, à la poste Dubriae, Canterbergae Setinbornae, Urbs Flisinga depicta Gravesendae, Comes Palatinus, Tabernae ordinariae Gallorum, Italorum Londini, Marchiones tres Rothomagi, Crux ferrea Lutetiae, tres Mauri Aureliae, tres Filii Biturigum, Cervus Sancerrae, Crux viridis Andegavi, Crux alba Bloesis, Campana caerulea Pictavii, au bon conseil Turonii, Crux Sancta Rupellae, quatuor Filii Santoni, tres Marchiones Montalbani, à le Escu Narbonae, Crux alba Besirii, au faulcon Arelati, à la cloche Aquis Sextiis, à l'ange Tarasconi, à la pome (sic) Nemausii, à le aigle de Or Arduiae, Leo aureus Valentiae, scyphus aureus Viennae, Leo aureus in laterna et Corona aurea Lugduni Parisiorum, Flos liliorum Nivernii, Delphinus magnus Molinii, S. Georgius Varennae, Leo aureus Charitae, S. Nicolaus Roanae, S. Sebastianus Tararae, Corvus Vesontii, à le Escu de France Divioni, Cervus grandis Nancei, à Rome Meti, Pomum aureum Cameriaci, à la Poste Montmeliani, Ovis Rivoli, Rosa rubra Taurini, tres Imperatores Novariae, Corona Seravallae et Tortonae, Falco Ticini, tres Reges Mediolani, Aquila nigra Tarvisii, Leo albus et Aquila nigra Venetiis, Stella Patavii, Pileus Vicentiae, Equus albus Veronae, Pavo Mantuae, Campana Ferrarae, Angelus et Peregrinus Bononiae, Luna Florenzeolae, ubi stabularii peregre advenientibus extra oppidum occurtere, ferculaque sua recensere, sed Peregrinos saepe decipere solent, Consul nationis Germaniae Genuae et Liburni, Aquila nigra Florentiae, Stella et tres Virgines Pisae, Corona Lucae et Sienae, Leo Aquaeependenti, Scala Montefiasci, ubi optimum vinum Muscatellinum propinatur, Leo Viterbi, Rosa Montrosae, Gladius et Ursus niger Romae, ubi indultu Pontificis in vigiliis et jejuniis liberum erat Germanis oleo non assuetis pisces et ova sorbilia ac frixa cum butyro recenti praeparata comedere *), Aquila

*) In Vol. II Part. III Requisit. III in descriptione urbis Romae haec dicit: Diversoria publica et inter ea duo Germanorum ad Ursum al Urso et ad Gladium alla spada non procul a ponte et castello S. Angeli in platea

Neapoli, aliaque diversoria publica tum temporis clara, fortasse ut omnium rerum vicissitudo est, hodie obscura vel plane mutata, aut in aedes et habitationes et privatas conversa, aut eversa.

Ubique autem eadem tractandi ratio non est, sed diversa, alicubi durior, alicubi vero civilior.

In Germania inferiori et quibusdam locis Germaniae inferioris tractatio simplex et dura saepe esse solet, ubi quidam hospites praesertim diu non visos more patrio et laeto animo verbis diris et execrandis welkam chim wo bestu so lang gewest, dat deck dusent sterten sick und so vel dusent haleu motten etc. excipiunt, cum illis ad mensam, vel fornacem aut focum usque in noctem potionis saepius repetunt, ad singulos haustus manus porrigunt, a recenti potu semper initium faciunt et prius rebibunt, inter compotationes confraternitatem contrahunt, cerevisia effusa, digitis instinctis, sale et pane apposito fidelitatem jurant, saepeque clamant: Mutter holt frisch bier, gebt volle mass und gut bier, wir geben euch gut gelt, et strenuo se ad potum invitant, nonnunquam certamine sanguine aut caede hoc dedecus expiantur, (p. 573) frequenter hospites potu a recenti, coctione calente, turbido et insipido, cibis crassis et duris, brassica acida lardo spisso, pernis, petasonibus, farciminibus intestinis carnibus anseribus piscibus salitis, fumo aut vento induratis, pane atro, butyro rancido, caseo putrido, coepis allio crudo, vino adusto tractant, semel in septimana diebus Dominicis cibos quibus per hebdomadam vescuntur, coquunt, et lectum ex plumis suillis durum in terra, vel in stabulo super stramen, vel in horreo super gramen juxta pecorum strata, vitulorum, vaccarum, boum mugientium, equorum hinnitum, porcorum grunnitum, canum latratum, pullorum, gallinarum et gallorum strepitum hospitibus parant. De quibus hi rythmi insulsi circumferuntur:

Pisces (?), languores, schurff, febres atque dolores

Strodach, Knapcasei sunt hic et alibi multi

Et si videres nostras glaucas mulieres,

Nobiscum fleres, si quid pietatis haberet.

Neque venires ad nos, quia sumus in insula Pathmos

Et caveas tibi, quia Gritzwurst est etiam ibi.

Ejusmodi diversoria salse vocavit Justus Lipsius in Epistol. haras et pandocheos suillos, Scrofas, Porcios Pultiphagos et semihomines. Quem Johannes Domannus in Vindiciis pro Westphalia vocis libertate perstrinxit.

Erasmus Rotterodamus in Colloq. quorundam tractationem, descripsit salsis verbis sequentibus. [Sequitur descriptio diversiorum Germanicorum ex Erasmi colloq. de Diversoriis verbo tenus deprompta, usque ad finem p. 574, quam hoc loco repetere nolo.]

(p. 575.) Lutherus in colloq. fol. 432 inquit: wenn ich viel reisen solt, wolt ich nirgend lieber denn durch Schwaben und Beyerland ziehen, denn sie sind freundlich und gutwillig, herbergen gern, gehen Fremden und Wandersleuten entgegen, und thun den Leuten guetlich, und gute ausrichtung umb ihr Gelt. Hessen und Meissen thun es ihnen etlicher masse nach, sie nehmen aber ihr Gelt wol drumb. Sachsen ist gar unfreundlich und unhoeflich, da man weder gute wort noch zu essen gibt. sagen: Leve gast, ick weit nicht wat ick ju te eten gewen sol,

Tiberina, ubi mox adfuit Xenagogus vel Ductor noster, Johannes Hoch Lucernensis Helvetius, alias ut se ipsum postea scripsit et vocavit, Giovanni Alto Svizzero da Lucerna, Officiale della Guardia Svizzera Pontificia dictus.

dat wiff is nicht daheimen, ick kan ju nicht herbergen. Ihr sehet hie zu Wittenberg, wie un-freundlichen Volk es hat. Fragen weder nach Erbarkeit noch Hoeflichkeit, noch nach der Religion, den kein Buerger laesst seinen Sohn studiren, da sie doch ein gross Exempel sehen und anzal der frembden studenten und Gaeste, Ach das Land tregts nicht. Idem Lutherus in Colloq. fol. 430 etiam dixit: Deus non uni cuncta dat, Gott gibt einem nicht alles. Je besser Land, je unartiger, ungeschickter groeber Volck.

In Germania superiori ut plurimum tractatio lautior et jucundior est, ubi in multis urbibus hospites peregrini spectabiles a magistratu vel delegatis sono buccinae, vino honorario, piscibus aliisque esculentis et potulentis ac munusculis, interdum etiam spectaculis honorifice excipiuntur ad imitationem veterum Romanorum qui Legatis hospitibusque spectabilibus advenientibus et Templum Saturni ingredientibus per Quaestores munera certa Lautia dicta offerebant et hospites aegros publicis impensis curabant, mortuosque sepeliebant.

In quibusdam monasteriis viatoribus panis, vinum, jusculum et carnis coctae particula gratis offertur et in Moravia apud Anabaptistas qui Fratres vocabantur et bona communia habebant, Peregrinantes etiam gratis tractabantur et in multis civitatibus a Magistris opificiorum primariorum quae Geschenckte Handwerk vocantur, hospitia gratuita opificibus peregre advenientibus conceduntur et ab opificum sodalibus compotatio et deductio usitata instituitur, quam vocant das Geschenck halten auf den Herbergen, und das Geleit geben vors Thor hinaus.

Belgio, In Belgio pane secalicio et triticeo, lacte, butyro, caseis, carnibus et piscibus sale conditis, fumoque induratis, halecibus, ostreis, conchis testaceis et cerevisiis penaria, cellas et mensas, suas largiter instructas habent, et ubi occasio se offert liberaliter simul et hilariter etiam genio indulgent, et hospites vino generoso, cibis delicatis, colloquiis suavissimis, servitiis necessariis vasis et utensilibus nitidissimis, cubiculo et lecto mundo, et igne camini cespitibns ustilibus Torff, lignisque admodum parvis interdum additis frequenter excitato tractare solent.

Anglia, In Anglia hospites partim Germanico partim Gallico more tractantur. Angli enim in excipiendis et tractandis hospitibus partim Germanicos partim Gallicos mores, quasi ex his gentibus misti, obtinent, laute et frugaliter vivunt, non manibus et digitis, sicut Belgae et Galli, sed cultellis cibos ex patinis capiunt, parcus panem largius vero carnem optime assum, saccharum et ex saccharo confecta comedunt et cerevisiam sapidam ac gratam, et vina generosa Rhenana Gallica et Hispanica, praesertim illud vinum quod Sect vocatur, plerumque ante coenam bolum panis et haustum cerevisiae ad appetitum excitandum sumunt, ferculis delicatis, ostreis, musica suavissima, choreis comoediis et aliis exercitiis ac delitiis praesertim Londini et in praediis Nobilium se et peregrinos oblectant, caminos lithanthracibus excitant et fovent, in lectis loco tegumentorum tapetia etiam rustici adhibent, ab una posta ad alteram pro certis solidis Anglicis paratos habent equos cursorios mirae celeritatis, qui levibus reguntur fraenis et ephippiis ultra spithainam vix medium digitum latis teguntur. (p. 576.) Ubiunque locorum sunt frequentissime herba Nicotiana quam idiomate Americano Tabacum nominant, hoc modo utuntur: Fistulae in hunc finem ex argilla factae orificio posteriori herbam probe exiccatam, ita ut in pulverem facile redigi possit, immittunt et igne candela admoto, accendunt, unde fumus ab anteriore parte ore attrahitur, qui per nares et os rursum exit et phlegma ex capite secum educit, ubi unum vel alterum haustum cerevisiae superbibunt et assidentes ad Tabaci usum etiam invitant, qui nunc non solum Anglis sed omnibus ferme populis frequentissimus est.

In Gallia hospites humanissime recipiuntur, cubiculaque certa assignantur, in quibus res Gallia custodire, purgare, et quiescere licet, justo tempore ad prandium vel coenam invitantur, ad mensam saepe adstat aliqua mulier ad jocos instructa, quae convivium exhilarat facetiis ac leporibus, et jubet hospites hilares esse et quod apponitur boni consulere. Mulieres enim Gallorum sunt elegantes lingua ac moribus adeo festivis, ut possint vel ipsum Catonem exhilarare, nec confabulantur ut cum hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis et familiaribus. In ipso prandio vel coena apparatus est laetus, tractatio pretio tolerabilis et interdum musica suavis et venter non fabulis saltem sed etiam bonis et delicatis cibis repletur. Peracto prandio vel coena lepidis fabulis vel choreis etiam alunt hospites ne quid obrepatur taedii, ita ut hospites putent se domi esse non peregre. In cubiculis adsunt aliquot puellae ridentes, lusitantes, haustum vini ad suaviorem somnum propinantes, quae ultiro rogan si quid habeant vestium sordidaram, eas lavant ac lotas reddunt. Abeuntes ita complectuntur tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes aut propinquae cognationis *) jentacula, juscula et oscula more patrio usitato honesto simul exhibent. Galli enim in convictu genium suum minime defraudant. Munditiae in sternendis mensis student. Mensas in medio cubiculi collocant, ut cuvis liber accessus et abitus sit. Cibis utuntur opiparis et sapidis, vino sincero, interdum diluto, ne hepar accendat, ac ita prandent coenantque ut testantur, se ut vivant edere non ut edant vivere. Convictus in aliquot horas producti ipsis ingrati sunt. Ebrietatem et ad compotandum provocationes detestantur. Mane plerumque elixis vesperi assis vescuntur carnibus quod nec valetudini conservandae inidoneum: ab eduliis et obsoniis crassis ac duris, quae aliis in delitiis sunt abhorrent, brassicam sive integrum sive minutatam concisam acetoque maceratam, carnes fumo induratas, fructus ad solem aut ignem siccatos non apponunt, brassicam et rapam plerumque cum offis comedunt, Cardui, Asparagi, Artiseocci et hujus generis alii fructus frequenter apponuntur. Jentare mane antequam exeant, ipsis receptissimum sed modice nec nisi jusculo aut vini poculo hausto et panis bolo comesto, quod naturam roborat, animum exhilarat et cruditates stomachi consumit. Caminis non fornacibus ad frigus pellendum utuntur: Res insuetae illis, qui fornacum vaporibus calefieri soliti, quod vapores isti caput gravent et corpus laxum reddant, ut auram frigidorem exhorreat. Volatilia, capones, gallinae, pulli, cuniculi, perdices, turdi nusquam frequentiores sunt, quibus abundant. Tantum enim caponum, gallinarum, pullorum quotidie passim absuntur, ut si in aliis regionibus unico anno perinde fiat, metuendum sit, ne species intereat. Popinas habent volatilibus et ferculis exquisitissimis semper paratis instructissimas, in quibus ad victum necessaria pro tolerabili pretio eligi et emi possunt. In nonnullis tamen locis, pagis et oppidis Galliae tractatio satis tenuis dura et cara est; et vectores portatores ac hospites valde morosi rixosi et insolentes sunt, plus justa a peregrinis poscentes et peregrinos non sine multo litigio dimittentes.

(p. 577.) In Italia hospites multis fructibus, piscibus, ovis pullis, gallinis domesticis et Italia, Indicis columbis, animalium visceribus et carnibus, raro cum butyro recenti sed saepe cum solo oleo interdum rancido coctis aut assis, et vinis variis tractantur, cibique oleo parati saepe magna cum nausea ab insuetis comeduntur, multae vigiliae, jejunia et dies festi non sine molestia celebrantur, saepe ante mensam lenones, Chrysides, lascivientes et saltantes vel histriones gesticulantes vel monachi mendicantes aspiciuntur, morsusque insectarum ictusque scorpionum lethales et insidia timentur, et allegramento quod cum ultimo ferculo plerumque a coquis ad mensam

*) Hucusque descriptio diversiorum Gallicorum maximam partem ex illo Erasmi colloquio desumpta est.

accidentibus effertur, lectoque frequenter cimicibus pleno finitur. Nonnulli Italiae stabularii callidi peregre advenientibus longe occurunt obviam eosque benigne salutant, et hospitio suo ambitiose laudato miris blanditiis invitant et alacres usque ad amplam et bene pietam januam deducunt, postquam autem peregrini ingressi fuerunt et illi ad alios hospites captandos revalorint, nihil reperitur culina frigidius, nihil stabulo inanius. Hi nonnunquam etiam Peregrinos moneta pravâ, vel equis asinis et mulis suis pigris aut intractabilibus praesertim illis quos Cavallo de retorno vocant, valde decipere solent.

Hispania, In Hispania praesertim autem Castilia, est magna passim armentorum, pabulorum, herbárum lignorum et aliarum rerum necessiarum inopia, ut Viatores saepe pro tecto coelum, pro cibo famem, pro potu sitim inveniant: aut si bona fortuna offendant diversorum, saepenumero in illo nec comedendi nec dormiendi habeant copiam et ita plerumque reperiant prandium coenamve dubiam, dubii incertique an jejunare cogantur. Et tamen umbra coenae lective tanti constat, quanti in Germania aut Gallia magnificentum epulum. Quaelibet autem Hispanica civitas fere unum saltem habet diversorum, in quod dum divertunt, inveniunt arietis cornu parieti annexum, ad quod jumenta sua si quae habent alligant, deinde ipsis dicitur, si aliud quid petunt, ut ad forum vadant. Quod si rogent, ut vel famula vel famulus ipsis commodetur, se operam remuneraturos, mox audiunt: Ite vos ipsi, opus habemus famulitio nostro. Neque est quod advenam paleas aut foenum petant, istis caret Hispania. Hordeum emere poterunt et equo dare. Terram pro strato boni consulere, pro lecto vel culcitra mattam a vicino interdum emendicare pretto (?), et sibi coqui sibique famuli esse solent, vix oleum et acetum praeterea nihil, et in aliquibus locis vix carnem vervecinam aut asininam habere possunt, et coguntur a Magistratu schedulam pecuniarem ut libere panem emere possint, prius impetrare, corbesque quos Alforias ac utres sive lagenas quas botta aut bottla vocant, cibo vino, aut potu Aloxa et melle confecto repletas secum circum portare, et monetam saepe mutare, multasque molestias injurias et damna a plebe et militibus praesidiariis illata devorare.

Sequitur narratio difficultatum in quas Fridericus II Elector Palatinus ad Imp. Carolum V proficiscens propter egestatem diversorum Hispanicorum inciderit (ex Hub. Thomae Leod. Annal. lib. 6 de vita Friderici descripta), quam omitto. Deinde pergit (p. 578 inf.):

Tanta egestas et inhospitalitas est in Castilia. Unde illi Angli, qui olim Ducis Lancastri ductu suppetias tulerant Regi Portugalliae, in Castiliam redire nolebant, cum dicentes: in Castilia nil nisi rupes asperas quae in omphacio comedi nequeant, et praeterea montes praealtos, aerem durum, flumina turbida, plebem egenam, spurcam et pessime vestitam tantum esse. Pauci etiam Peregrini diu ibi morari cupiunt, et a Th. Lansio in Consult. de Principat. inter provinc. Europ. in orat. cont. Hispan. praedicantur illi beati, qui (p. 579) miseram illam terram non viderunt et crediderunt, et causa haec additur, quia Peregrini nihil aliud ibi discunt, quam splendide esurire, ventri importune obstrepenti aurem obturare, famem speciose dissimulare, et a prandio mox prode (?) ambulantes mantili fauces mundando calamoque dentes carnis non visae pridem reliquis exonerando saturitatem sobrie mentiri.

Sed haec hactenus; nam narrationem de diversoriis in Turcia et Persia, quibus hoc caput terminatur, describere supersedeo. Alia fortasse alia occasione oblata ex eodem libro publici juris faciam.